



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Exemplorvm Libri Tres**

Liber Secvndvs, Siue Exempla, In Septem Capitalivm Vitiorvm  
Detestationem, Per Qvadragesimam, Anno M. DC. XLVI. narrata

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 1. Authoris authotitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48186](#)

## C A P V T V.

GVLÆ ET LVXVRIÆ VITIVM EMEN-  
DATVM, ET SEVERO POENITENTIÆ GE-  
NERE A MARIA ÆGYPTIACA

## C A S T I G A T V M .

**E**MPORIBVS Honorij Papæ I. atque Heraclij Imperatoris, vixit S. Sophronius Episcopus Hierosolymitanus, fuitq; sub initium hæresis Monothelitarum, insignis fidei Catholicæ defensor, qui diem suum objit Anno Domini 634. Huius tanta est authoritas, ut epistola illius ad Sergium Episcopum Constantinopolitanum in 6. Synodo Act. 11. citetur. Hic Sanctus Sophronius, præter cetera, quæ posteris legenda & discenda reliquit, scripsit etiam vberioribus verbis sequentem historiam, ob temporis angustias, à me in compendium redigendam. Non tamen sine morum condimento, vt & iuuenes castitatem, & senes discant colere sobrietatem; turpe enim est adolescentibus lasciuire; fœdum & absurdum senibus, adolescentiari; & luxus vtrique ætati vel vietandus, vel dediscedus. Historiam Prophetæ verbis ordior.

*Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua, idcirco Zosimas sanctus ille (non hæreticus, qui ab hoc alias fuit) ab ipsis maternis vlnis auulsus in quoddam Palæstinæ monasterium fuit portatus, in quo cum illo virtus perfectioque religiosa à teneris unguiculis ita creuit, vt non solùm cœnobij regulas omnes quam exactissimè seruaret, sed etiam multa alia per quam liberaliter adiiceret, vigilantiæ, abstinentiæ, coniunctionis cum Deo opera; adeò, vt neque inter manuum labores, neque cùm cibum sumeret, à fermenti diuinorum rerum meditatione, sacrificiisque cantibus desisteret; eaque propter plurimis Dei seruis, è locis longè dissipatis, tanquam ad archetypum vitæ sanctæ venientibus visitaretur, qui ab eximio eius exemplo sibi ideam sumerent philosophandi. Ad hanc sanctitatem diuturnitas accessit; in ea enim seueritate vitæ, quinquaginta tres totos annos, perseverauit. Nemo innocentia suæ nimium confidat; nemo sibi placeat, si diu benè vixit; sed qui stat, videat, ne cadat. Quam diu viuimus, militamus; & proorsus militia est vita hominis*

N 3

I.  
AVTHORIS  
AVTHORITAS.

Baron. tom:  
8. Annal.  
Apud Heri-  
bert. Ros-  
vveydum 1. 1.  
de vitis Pa-  
trum à pag.  
382,

II.  
ZOSIMAE PRO-  
FECTVS.  
Thren. 3. 27.

1. Cor. 10. 12.  
Iob. 14. 14.  
Iob. 7. 1.